VERG

COMI

AMPLISS

ALMA

SUM

EXT

QUAESTIONES VERGILIANAE CRITICAE.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ARNOLDUS KIRSCH,
AQUISGRANENSIS.

MONASTERII.
EX TYPOGRAPHIA BRUNNIANA.
MDCCCLXXXVI.

PARENTIBUS OPTIMIS

D. D. Q.

SCRIPTOR.

P. Vergilii Maronis carmina antiquis et recentioribus temporibus non magis animos legentium delectaverunt, quam virorum doctorum studiis materiam praebuerunt, cum non modo vel antiquis temporibus non defuerint loci, quibus complures lectiones pervulgatae erant, ut saepenumero ambiguum esset, quae praeferenda foret, quam rem Gellii aliorumque grammaticorum libri, praecipue autem Servii commentarius nos docent, sed etiam, sive dubium erat sive dubium non erat, quid Vergilius scripsisset, ad poetae verba recte intellegenda persaepe opus fuerit interprete doctrina, ingenii acumine, antiquitatum, mythologiae, historiae scientia instructo. Quod autem grammatici per totum imperii Romani a Caesaribus administrati tempus fecerunt, id recentioribus temporibus viri docti non omiserunt, itaque tam immensa est multitudo eorum, qui Vergilii carminibus edendis, recensendis, emendandis, explicandis operam navaverunt, tot libri libellive de hoc poeta conscripti sunt, ut facile satisfactum esse videri possit officio, quo adversus suavissimi poetae carmina amoenissima obstringimur, praesertim cum, quod attinet ad artem criticam, non alius scriptoris latini opera tam vetustorum codicum pari numero tradita sint. Tamen nescio an, cum hoc ipso saeculo novae ad Vergilii textum constituendum viae initae sint, salva modestia erga eos, qui vias monstraverunt, non desint loci, quibus, cum illi erravisse videantur, aliam sententiam proferre liceat. Nam cum antea nulli codici fides maior aut aequa habita sit ac Mediceo, cum huius codicis antiquissimi fulgore omnes alii obscurati sint, Otto Ribbeckius alios codices antea notos quidem, sed neglectos accuratissime contulit et cognita eorum praestantia, quibus locis id placuit,

praetulit. Inter quos primum locum concessit Palatino, quem editiones Commelinianae secutae sunt, quae annis 1589, 1599, 1603 prodierunt. Sed cum hae editiones lectiones Palatini parum accurate reddiderint et, etsi a viris doctis omnino neglectae non sint, tamen Medicei auctoritati minime nocuerint, merito dici potest, Ribbeckium demum, qui primus codicem diligenter Romae contulit, eum inter libros manuscriptos, qui digni essent, quorum testimonia in iudicium vocaremus, recepisse. Ribbeckius autem, cum in editione sua lectiones vulgatas saepe removerit, me commovit, ut ad Vergilii codices oculos adverterem et, quae singulis codicibus fides habenda esset, continuo varias lectiones inspiciens, conferens, diiudicans cognoscere conarer. Legenti autem mihi hoc modo diligentissime Vergilii carmina persuasi, iudicium, quod Ribbeckius de septem librorum literis maiusculis scriptorum, schedarum Vaticanarum F, schedarum rescriptarum Sangallensium G, Medicei M, Palatini P, Romani R, schedarum rescriptarum Veronensium V, Augustei A fide et auctoritate fecit, generatim atque universe verum esse.

Ribbeckius, postquam codices descripsit, de eis sic iudicat[1]: „Ergo, quid aptum et pulchrum quoque loco sit, imprimis acri sensu diiudicandum, in dubiis testimonia prae ceteris audienda sunt Palatini, cui, ubi exstant, Vaticanae et Veronenses schedae pares fere habendae sunt. Paulo inferior, quamquam adfinis Palatini, Mediceus, diffidendum vero plerumque Romano. Schedarum A G ad constituendum textum usus exiguus.“

Nihilominus in singulis rebus dubitare licet, num Ribbeckius semper de praeferendis aut postponendis codicibus recte iudicaverit. Etsi enim non nego, Palatinum locis quibusdam sequendum non esse, quibus Mediceus lectionem probabilem praebet, tamen etiam saepius, quam Ribbeckius fecit, Palatini scriptiones probandas esse puto. Nam quamquam vel optimus codex saepe interpolatus est, tamen in Palatino semper fere cognoscere possumus, unde lectiones pravae ortae

[1]) Proleg. crit. p. 320.

sint, neque deterrimus antiquissimorum Romanus lectionum bonarum tam inops est, ut eo omnino carere possimus. Huius rei autem causam esse hanc puto: Codices Vergilii, a quo secundum Quintilianum[1]) lectio incipiebat, quem non minus tirones prima elementa discentes quam adulescentes maiorum facta admirantes, non minus rerum ab Romanis antiquissimis temporibus gestarum studiosi quam grammatici linguae aut vitae publicae privataeve antiquitates noscentes legebant, tam integri servari non poterant quam codices scriptoris minus clari aut minus lectitati. Immo fieri non poterat, quin multa suprascriberentur, ut admoneretur de locis similibus poetae, de locis Homericis, Ennianis, Lucretianis, quos Vergilius imitatus esse videbatur, ut denique voces minus usitatae explicarentur. Inde factum est, ut vel Gellii aut Servii temporibus tam immensa lectionum varietas inveniretur, ut nostri quoque codices toties inter se dissentiant aut glossematum aut alius vitiorum generis, dico lectionum ex alio loco adscriptarum, tot vestigia ostendant.

Quae cum ita sint, de locis quibusdam, quibus Ribbeckius ex variis lectionibus a codicibus praebitis non eam recepisse videtur, quae digna erat, aut quibus neglecta omnium librorum auctoritate grammatici cuiusdam testimonium sequi maluit, pauca conscribere constitui.

ecl. I. 83.

Maioresque cadunt altis a montibus umbrae.

Hoc loco codices antiquissimi praeter Palatinum et Ro-
de
manum deficiunt. In Palatino legitur *a montibus* suprascripta *de* praepositione, in Romano *de montibus*. Ribbeckius non curavit hoc *a* et *de* scripsit. Sed num recte fecerit, dubito, cum *a* errore scriptum esse non putem. Nota enim dicendi licentia cum verbo *cadere* iungitur *a* praepositio.

---

[1]) Quintil. 1. 8. 5.

cf. Ov. fast. III. 20. cadit a mento manus. Plaut. mil. 1151. Maxumum periclum inde esse ab summo ne rursum cadas.

Martial. XI. 50. 4. Gemma a digito cadit.

Plin. N. H. X. 38. 54. cadere ab alto.

Cum praeterea dubitari non possit, quin multo facilius potuerit fieri, ut *a* in *de* mutaretur i. e. dictio minus usitata in usitatiorem quam *de* in *a*, mihi persuadeo, Palatinum nobis hoc loco, quod poetae manus scripserat, tradere.

ecl. I. 59.

Ante leves ergo pascentur in aethere cervi,
Et freta destituent nudos in litore pisces;
Ante pererratis amborum finibus exul
Aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim.

v. 59. P R a b c: *aethere.*

Moretanus quartus et Probi Vaticanus c: *aequore.*

Hoc loco permulti viri docti et Romano et Palatino diffisi nescio an errent. Primo adspectu *aequore* melius videtur. Nam si pisces, quod eis natura habitandum dedit, mari cedere dicuntur, etiam cervos, cum terram eis concessam relinquunt, in mare se esse immissuros exspectamus.

Sed id respiciendum est, etiam populis v. 62 memoratis non mutuam sedium permutationem tribui, sed singulos tantum dici alias quaerere sedes. Non enim est Arar Germaniae, sed Galliae neque Tigris Parthorum terrae fluvius, sed eius fines tantum praeterfluit.

Quod si Keilius non neglexisset, non scripsisset [1]): „Dass es (aequore) das Richtige ist, zeigt die Vergleichung mit 63 und 64 (? 61, 62). Wie dort von einer Vertauschung der Wohnsitze zwischen Parthern und Germanen die Rede ist, so auch hier zwischen Hirschen und Fischen.“ Quamquam si *aequore* a Vergilio scriptum esse constaret, non curarem haec tenuia discrimina, cum Parthos omnium Asiae, Germanos

---

[1]) Philolog. II. 166.

omnium Europae populorum vicarios esse putarem. Nunc autem, cum minime, quid scripserit, constet, res, quae tam parvae videntur, mentis attentione dignae sunt. At scriptores ad res, quae fieri non possunt, describendas mutuam sedium permutationem terrae et maris animalibus tribuere solebant, cuius consuetudinis pauca exempla affero:

Nemesian. I. 75. sq.

Namque prius siccis phocae pascentur in arvis
Hirsutusque[1]) freto vivet leo.

Ov. met. XIV. 38. sq.

Prius .... in aequore frondes
.... et in summis nascentur montibus algae.

Sed si quis propterea *aequore* praeferat, cogitet, verisimile non esse, futurum fuisse, ut *aequore* in *aethere* mutaretur; *aethere* autem, quod aptum esse non videretur, ab interpolatore facillime in *aequore* mutari potuisse.

Doleo, mihi non contigisse, ut libellum, in quo Ameisius[2]) hunc locum tractavit, mihi pararem.

ecl. VI. 31. sqq.

Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque animaeque marisque fuissent
Et liquidi simul ignis; ut his ex omnia primis
Omnis et ipse tener mundi concreverit orbis.

v. 33. in Romano *exordia* legitur, v. 34 in Romano *omnia*, in Palatino *omnisa* (s erasa).

Hoc loco Romanum non minus interpolatum esse puto, quam multis aliis. Nam, quod Ladevicus[3]) quoque adnotavit, *exordia* ambiguum est, cum *exordia* de primis omnium rerum initiis aut atomis (semina v. 32) dicatur, non de tam progresso

[1]) Quid hoc loco Nemesianus scripserit, incertum est; codices, qui habent *vestitusque*, corruptos esse apparet.

[2]) Ameis, spicilegium explicationum Vergilianarum. Muehlhausen 1853. Progr.

[3]) Conferas eius editionis in usum tironum compositae appendicem criticam.

mundi statu, qui verbis *tener mundi orbis* significatur. Praeterea *primis* sine praepositione *ex* ferri non potest, ablativus enim hoc loco non est casus causae aut instrumenti, quibus res concrescunt, in unum coalescunt ut Aen. II. 277.

Squalentem barbam et concretos sanguine crinis

aut Aen. XII. 905.

Genua labant, gelidus concrevit frigore sanguis

aut Ov. met. IX. 220.

Utque ferunt imbres gelidis concrescere ventis,

sed verbis *his . . . primis* significantur corpuscula, unde res nascuntur finguntur que ideoque *ex* praepositio postulatur.

v. 34. Palatinus non *omnia et* sed *omnisa et* habet, ut *omnis et* legendum sit. *Omnisa* in archetypo hoc fuisse prodit:

A

OMNIS. Palatinus enim saepe secundum aliorum librorum textum correctus fuit.

OMNISA invenitur in Palatino etiam ecl. IV. 52.

Aspice, venturo laetentur ut omnia saeclo.

Hic autem *omnisa* per sequens SAeclo ortum est.

Simili modo in Palatino Aen. I. 359 pro *thensauros ignotum* scriptum est *then***sa***uros SAnotum,* duabus literis ex eodem versu repetitis.

Omnis attributum esse dicere nolim, ne duo attributa *omnis, tener* sine *et* coniunctione cum substantivo *orbis* coniungantur. Itaque praedicatum esse puto: der Himmel in seiner Gesamtheit.

ecl. IX. 59.

Hic adeo mediast nobis via, namque sepulchrum
Incipit apparere Bianoris.

M: *hinc.*

Hinc a plerisque editoribus receptum est; mihi *hic,* quod P habet, melius videtur, nam *media via* non significat spatium, sed locum. cf. Theocr. VII. 10. *Κοὔπω τὰν μεσάταν ὁδὸν ἄνομες,* id est: nondum medium viae locum consecuti eramus,

non: dimidium viae emensi eramus. Nam verbum *ἀνύειν* saepe idem significare ac *consequi* demonstrant hi loci.

Soph. Ai. 608.

ἔτι μέ ποτ᾽ ἀνύσειν
τὸν ἀπότροπον ἀΐδηλον Ἄϊδαν.

Antig. 804.

τὸν παγκοίτην ὅθ᾽ ὁρῶ θάλαμον
τήνδ᾽ Ἀντιγόνην ἀνύτουσαν.

Oed. Col. 1561.

. . . . λίσσωμαι
ἐπιπόνῳ μήτ᾽ ἐπὶ βαρυαχεῖ
ξένον ἐξανύσαι
μόρῳ τὰν παγκευθῆ κάτω
νεκρῶν πλάκα.

Thuc. II. 97. 2. *Τὰ μὲν πρὸς θάλασσαν τοσαύτη ἦν, ἐς ἤπειρον δὲ ἀπὸ Βυζαντίου ἐς Λαιαίους καὶ ἐπὶ Στρυμόνα ἡμερῶν ἀνδρὶ εὐζώνῳ τριῶν καὶ δέκα ἀνύσαι.*

Praeterea conferas cum hoc loco Aen. V. 1.

Interea medium Aeneas iam classe tenebat
Certus iter.

Voces *hinc* et *hic* in codicibus saepissime permutatae sunt, neque semper facile est, veram falsa lectione dinoscere.

G. II. 426. sqq.

426. *Poma quoque, ut primum truncos sensere valentes*
427. *Et vires habuere suas, ad sidera raptim*
428. *Vi propria nituntur opisque haud indiga nostrae.*
433. *Et dubitant homines serere atque impendere curam?*
429. *Nec minus interea fetu nemus omne gravescit*
430. *Sanguineisque inculta rubent aviaria bacis.*
431. *Tondentur cytisi, taedos silva alta ministrat,*
432. *Pascunturque ignes nocturni et lumina fundunt.*

Deest versus 433. in Mediceo, sed cognosci possunt in eo secundum Wagnerum signa quaedam, ibi versui locum esse, indicantia.

Equidem versum ita, ut scripsi, transponendum esse putavi, ut referretur ad poma, non ad arbores silvestres, cum has homines non serant.

Heynius versum „per se praeclarum“ appellat, Ribbeckio [1]) spurius videtur, quia praecedenti loco adversetur, quo Vergilius de illis arboribus loquitur, quae „opis haud indigae nostrae“ sint. Sed non dicit poeta, his arboribus nullam omnino curam impendendam esse, sed simulac satae et certam quandam aetatem consecutae sint, tum primum hominum cura eas carere posse. cf. v. 422.

Cum semel haeserunt arvis aurasque tulerunt
(scil. non exspectant falces rastrosque tenacis.) v. 426.
Ut primum truncos sensere valentis
(scil. vi propria nituntur opisque haud indiga nostrae).

Versu 433. non omisso haec est loci sententia: Quid, cum adultae arbores sine ulla hominum cura utilissimae sint, (431 sq.) qui tum homines dubitent, parvam serendi curam impendere? Accedit, quod, si Vergilius versum 433. non scripsisset, nemo desiderasset quidquam; nam etiam sine hoc versu totius loci sententia apta esset. Qua re versus non suspectus fit, sed defenditur. Non dissimilis est dictio Aen. VI. 806: Et dubitamus adhuc virtute extendere vires. Quo versu is, de quo agimus, defenditur, neque scio, quomodo putari possit, hoc versu commotum esse interpolatorem quendam, ut in georgicis similem versum subderet.

Neque minus id quoque respiciendum est, ut in aliis codicibus ita in Mediceo quoque complures versus omissos esse. Aen. II. 418 in Mediceo a manu prima scriptus non erat, additus est a manu recentiore literis rubris usa ima pagina, item Aen. XII. 499.

Aen. VII. 41 olim defuit, in margine postea adscriptus est.

---

[1]) proleg. critic. p. 49.

g. III. 219 sqq.

Pascitur in magna Sila formonsa iuvenca:
Illi alternantes multa vi proelia miscent
Volneribus crebris, lavit ater corpora sanguis
Versaque in obnixos urgentur cornua vasto
Cum gemitu, reboant silvaeque et magnus Olympus.

223. M: *resonant.* — LONGIVS (I deleta) pro: *reboant* — *magnus.*

v. 223. Ribbeckius cum plerisque aliis, qui Vergilii carmina recensuerunt, *longus Olympus* scribit, quamquam haec lectio lectioni *magnus Olympus* neque propter librorum manu scriptorum neque propter testium antiquorum auctoritatem neque propter causarum, quibus illa defenditur, probabilitatem praeferenda est. Nam in solo Mediceo illa lectio invenitur, omnibus aliis codicibus adversantibus, neque tradidit scriptor antiquus *longus* nisi Macrobius, sat. VI. 4. 21, cum in Nonii, Eutychii, Sergii, Pompeii libris *magnus* legatur.

Ideo autem sine dubio et Medicei lectio et Macrobii testimonium in favorem virorum doctorum venerunt, quod Homeri a Vergilio imitati novum exemplum afferre videntur collato loco illo Homerico Il. XV. 190 sqq.

Ἤτοι ἐγὼν ἔλαχον πολιὴν ἅλα ναίεμεν αἰεί
Παλλομένων, Ἀΐδης δ᾽ ἔλαχε ζόφον ἠερόεντα·
Ζεὺς δ᾽ ἔλαχ᾽ οὐρανον εὐρὺν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσι·
Γαῖα δ᾽ ἔτι ξυνὴ πάντων καὶ μακρὸς Ὄλυμπος.

aut Il. I. 401 sqq. quem locum Woldemarus Ribbeckius in appendice praetermisit:

Ἀλλὰ σὺ τόν γ᾽ ἐλθοῦσα, θεά, ὑπελύσαο δεσμῶν,
Ὦχ᾽ ἑκατόγχειρον καλέσας ἐς μακρὸν Ὄλυμπον,
Ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοί e. q. s.

Sed utrum Vergilius Homerum hoc loco imitatus sit, an Macrobius huius imitationis sit fabricator, fortasse cognoscemus ex aliorum Vergilii locorum, quos Macrobius tradidit, contemplatione.

Atque re vera non magnam fuisse diligentiam Macrobii poetae verba afferentis docent aliquot eorum locorum, de quibus disputavit Ribbeckius in prolegomenis criticis p. 210 ut illi, quos codicem non inspicientem memoriter eum adscripsisse Ribbeckius vidit:

Aen. II. 222 sqq:

Clamores simul horrendos ad sidera tollit,
Qualis mugitus, fugit cum saucius aras
Taurus.

v. 222. Macrob. sat. IV. 5. 8. *mugitus veluti fugit* e. q. s.

Aen. II. 416.

Adversi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt e. q. s.

Macrob. sat. VI. 2. 28: *diversi magno.* Codicem autem ei fuisse vitio illo, quo libri nunc exstantes plurimis locis deformantur, dico lectionum ex simili loco contaminatarum, affectum enucleare licet ex hisce locis:

Aen. VII. 655.

Post hos insignem palma per gramina currum
Victoresque ostentat equos satus Hercule e. q. s.

Macrob. sat. V. 15. 15 *insignem fama,* quam lectionem ex. v. 745.

„Ufens, insignem fama et felicibus armis" illatam esse Ribbeckium fugit.

Aen. VII. 528.

Fluctus uti primo coepit cum albescere vento

Macrob. sat. V. 13. 20 *coepit cum albescere ponto* secundum g. III. 237.

Fluctus uti medio coepit cum albescere ponto.

Aen. VII. 796.

Et Sacranae acies et picti scuta Labici.

Macrob. sat. V. 15. 19: *Stant (Gauranae) acies* secundum II. 333: *stat ferri acies.*

Aen. VIII. 90.

Ergo iter inceptum celerant rumore secundo,

Macrob. VI. 1. 37. *peragunt* secundum VI. 384: Ergo iter inceptum peragunt.

Aen. VIIII. 461.

Nec non et gemini custodes limine ab alto
Praecedunt.

Macrob. sat. V. 8. 6. *limine in ipso* secundum locos a Ribbeckio allatos: ecl. VIIII. 92. Aen. X. 355. XI. 881.

Alia eiusdem generis, quae afferre possum, omitto, cum vel ex eis locis, quos attuli, appareat, et Macrobium neglegentiorem lectionum testem esse et eius codicem interpolatum fuisse. Ad huius loci lectionem veram restituendam maioris momenti est, cognoscere, aut Macrobium ipsum Vergilii verba secundum aliorum poetarum, praecipue Homeri locos, quos ei imitatus esse videbatur, mutavisse, aut in eius codice tales antiquorum poetarum locos adscriptos fuisse.

Eius generis locus mihi videtur esse:

Aen. II. 361 sq.:

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet aut possit lacrimis aequare labores,

quos versus poeta expressisse videtur secundum Hom. Od. III. 113 sqq.

Ἄλλα τε πόλλ' ἐπὶ τοῖς πάθομεν κακά· τίς κεν ἐκεῖνα
Πάντα γε μυθήσαιτο καταθνητῶν ἀνθρώπων.

Macrobius autem, sat. V. 1. 10. quamquam *labores* propter *πάθομεν κακὰ*, *ἐκεῖνα*, *πάντα* a poeta scriptum esse apparet, pro hac voce *dolorem* tradidit, quod ex verbis, quibus Nestor illo loco narrationem suam orditur (Od. III. 103)

Ὦ φίλ', ἐπεὶ μ' ἔμνησας ὀϊζύος desumptum est.

Etiam magis apertum est, vocabulum a Vergilio scriptum vocabulo ex Homero descripto oppressum esse hisce locis:

Aen. III. 192.

Postquam altum tenuere rates nec iam amplius ullae
Apparent terrae . . . .

Macrob. sat. V. 3. 3. *ulla apparet tellus* sine dubio propter Hom. Od. XII. 403 (nam de hoc loco admonet Macrobius):

Ἀλλ' ὅτε δὴ τὴν νῆσον ἐλείπομεν, οὐδέ τις ἄλλη
Φαίνετο γαιάων.

Hos versus alio loco Vergilius accuratius imitatus est:

Aen. V. 8 sq.

Ut pelagus tenuere rates nec iam amplius ulla
Occurrit tellus.

Aen. III. 515 sqq.

Sidera cuncta notat tacito labentia caelo
Arcturum pluviasque hyadas geminosque triones
Armatumque auro circumspicit Oriona.

516 Macrob. sat. V. 11. 10 *pliadas* pro *pluvias* tradit, quod ut faceret eum georgicon loco, I. 137 sq.,

Navita tum stellis numeros et nomina fecit
Pleiadas, hyadas claramque Lycaonis arcton

commotum esse putaremus, nisi ex eo, quod Macrobius cum illo loco Hom. Od. V. 272, confert, appareret, eum vocem *pliadas* ex Homero transtulisse.

Apud Homerum enim haec leguntur

Πληϊάδας τ' ἐσορῶντι (cf. notat! Aen. III. 515) *καὶ ὀψὲ δύοντα Βοώτην*
Ἄρκτον θ' ἣν καὶ ἅμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν,
Ἥτ' αὐτοῦ στρέφεται καὶ Ὠρίονα δοκεύει. —

Aen. IX. 136 sqq.

Sunt et mea contra
Fata mihi, ferro sceleratam excindere gentem
Coniuge praerepta; nec solos tangit Atridas
Iste dolor solisque licet capere arma Mycenis.

v. 138 Macrob. sat. IV. 4. 11 tradit per interrogationem *an solos tangit* e. q. s., sine dubio propter Hom. Il. IX. 340.

Ἦ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων
Ἀτρεΐδαι;

Idem autem Macrobius sat. V. 9, 2 recte per affirmationem *nec solos tangit Atridas tradit;* ut videamus, Macro-

bium, etsi eius codex veram lectionem praeberet, si forte loci Homerici, quem Vergilius imitatus erat, meminisset, Vergilii textum Homerico adsimulasse.

Aen. IX. 328.

Sed non augurio potuit depellere pestem.

In Macrobii Parisino legimus teste Eyssenhardtio (sat. V. 9, 10) *sed non auguriis* propter Hom. Il. II. 59.

Ἀλλ' οὐκ οἰωνοῖσιν ἐρύσσατο Κῆρα μέλαιναν.

Aen. IX. 767.

Alcandrumque Haliumque Noemonaque Prytanimque;

quo loco Macrobius, sat. V. 17. 17 propter Hom. Il. V. 678.

Ἄλκανδρόν θ' Ἅλιόν τε Νοήμονά τε Πρύτανίν τε

graecam nominis formam *Prytanin* pro latina *Prytanim* tradit.

Aen. IX. 782.

Quos alios muros, quae iam ultra moenia habetis?

Qui versus in Macrobii, sat. V. 9. 14, codicibus, exceptis deterioribus, sic legitur: *Quos alios muros aut quae iam moenia habetis?*, addita particula *aut*, cum Macrobius apud Homerum, Il. XV. 735 sq., ἦε invenerit:

Ἠέ τινάς φαμεν εἶναι ἀοσσητῆρας ὀπίσσω,
Ἠέ τι τεῖχος ἄρειον, ὅ κ' ἀνδράσι λοιγὸν ἀμύναι;

Aen. X. 100.

Tum pater omnipotens, rerum cui prima potestas
Infit.

Macrob. sat. VI. 2. 26. propter Hom. Od. V. 3. sq.

Οἱ δὲ θεοὶ θῶκόνδε καθίζανον, ἐν δ' ἄρα τοῖσιν
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, οὗ τε κράτος ἐστὶ μέγιστον.

summa potestas sribit, quod quidem in Palatino quoque legitur, sed pro minus usitato *prima* interpolatum videtur.

Secundum Romanorum poetas antiquos Vergilii verba mutavit Macrobius hisce locis.

g. II. 246. sq.

At sapor indicium faciet manifestus et ora
Tristia temptantum sensu torquebit amaror.

Macrobius, sat. VI. 1. 47, substantivo *amaror* remoto

et adiectivo *amaro* substituto *sensu amaro* scripsit secundum Lucretianum *foedo sapore.* Cf. Lucr. II. 401, quem locum Macrobius confert: foedo pertorquent ora sapore.

Aen. VI. 845 sq.

Tun maximus ille es,
Unus qui nobis cunctando restituis rem?

Macrob. sat. VI. 1. 23. *restituit* propter celeberrimum illum Ennii versum, Cic. d. senect. IV. 10.

Unus homo nobis cunctando restituit rem.

Aen. XI. 729 sqq.

Tarchon
Fertur equo variisque instigat vocibus alas
Nomine quemque vocans reficitque in proelia pulsos

Macrob. sat. VI. 1. 34. *ad proelia,* quod in Furii epici versu, quem Vergilius hic inseruit, legerat.

Ex omnibus, quae attuli, apparere videtur, Macrobii lectiones saepe ad antiquorum poetarum, praecipue Homeri locos referendas esse. Macrobium autem Vergilii verba non nimis anxie servavisse, quis non credat, cum ex eius opere intellegatur, plurimum eius interfuisse, ut locorum Homeri a Vergilio imitatorum quam maximum numerum inveniret. Cf. sat. V. 3. 16, quo loco Avienus Eustathium recusantem, ne pergat locos ex Homero translatos enumerare, hisce verbis ad eam enumerationem conficiendam adhortatur: „Quid enim suavius, quam duos praecipuos vates audire idem loquentis? Quia, cum tria haec ex aequo impossibilia putentur, vel Jovi fulmen, vel Herculi clavum, vel versum Homero subtrahere, quod etsi fieri posset, alium tamen nullum deceret, vel fulmen praeter Iovem iacere vel certare praeter Herculem robore vel canere, quod cecinit Homerus: hic opportune in opus suum, quae prior vates dixerat, transferendo fecit, ut sua esse credantur. Ergo pro voto omnium feceris, si cum hoc coetu communicata velis, quaecumque noster poeta vestro mutuatus est.“

Quare iure suspicari mihi videor, hoc loco, quoniam plerique codices cum Macrobio non consentiunt, lectionem *longus*

Olympus aut ab ipso Macrobio pro genuina *magnus Olympus* positam esse aut illam in eius codice adscriptam fuisse.

In Mediceum autem haec lectio eodem modo illata esse potest quo in Macrobii codicem, nisi forte alia huius rei explicatio, quam infra proponam praeferenda est. Nam cum antiquis temporibus grammatici scrutarentur, quibus locis Vergilius Homerum imitatus esset[1]), facillime accidere poterat, ut, si loco quodam Vergilium poetam Graecum generatim atque universe imitatum esse apparebat, in singulis rebus exemplar secutus non erat, ibi corruptela irrepsisse eis videretur, quam sanare suum esse arbitrarentur — hoc modo, ut exemplo utar, *pliadas* Aen. III. 516. explicandum est — aut ut, si Vergilio, ut Homerum imitaretur, in mentem non venerat, ipsis autem locus Homeri illi Vergiliano, quem forte legebant, in universum similis, in rebus singulis diversus notus erat, de eo ita admonerent, ut illud vocabulum, quod Vergilius non accurate reddidisse videbatur, in linguam latinam versum in suis codicibus adscriberent. Hoc modo *longus* in Mediceum venisse puto; non enim possum mihi persuadere, Mediceum potius sequendum esse quam ceteros codices miro consensu et inter se et cum testibus antiquis praeter Macrobium coniunctos; nam si *longus* a poeta scriptum esset, non dubito, quin praeter Mediceum unus et alter codex hanc lectionem servaturus fuerit.

Atqui dicant fortasse ei, qui *longus* defendunt, cum epitheton *longus,* ubi dicitur de monte, non sit usitatum, librarios, aut interpolatores mutavisse, quod ipsis rectum non videretur aut quod non intellegerent. Sed Hercule *longus* non esset vox tam mira, ut omnes codices, omnes testes miro consensu *magnus* pro ea traderent. Cur enim non Aen. XI. 544.

Ipse sinu prae se portans iuga longa petebat,

scripserunt *magna,* cum hic quoque montes „longi“ vocentur?

[1]) De qua re conferas, quae Ribbeckius in prolegomenis criticis pp. 112. 113. de obtrectatoribus Vergilii conscripsit.

Accedit quod locus, de quo disputamus, cum illis Homeri versibus Il. XV. 193. I. 402. nihil habet communis nisi Olympi mentionem. Nam Vergilius describit taurorum pugnam, quorum mugitu Olympus resonat, Homerus narrat Il. XV. 193. mundi divisionem inter Neptunum, Plutonem, Iovem factam et Il. I. 402. liberationem Jovis a ceteris deis deabusque vincti a Thetide confectam, quippe quae centimanum Briareum „εἰς μακρὸν Ὄλυμπον“ acciverit: ut nesciam, qua re Vergilius commotus esse putandus sit, ut Homerum hoc loco imitaretur.

Ceterum Mediceum hoc loco interpolatum esse, alios quoque credituros esse spero, si argutius ea, quae Mediceus hoc loco praebet (resonant . . . . . longius) conferimus cum loco Aeneidos simillimo, VII. 700 sq.

longa canoros
Dant per colla modos, sonat amnis et Asia longe
Pulsa palus.

Quis est, cui non verisimile videatur, ex hoc loco *longius* illo loco, cui recte constituendo operam navamus, in Medicei archetypo adscriptum fuisse, cum illud perversum *resonant* pro *reboant* in Mediceo legat, aut cui tam ignotus est mos antiquorum grammaticorum, loco quodam de simili loco admonere integros versus aut singulas voces adscribentes?

Itaque in Medicei archetypo haec fuisse puto:

SONANT LONGE (ex Aen. VII. 701)
REBOANT SILVAEQVE ET MAGNVS OLYMPVS.

Librarius autem ut *sonant* ita *longe* corrigendi causa suprascriptum esse ratus est, sed pro LONGEVS scripsit LONGIVS. E et I literae perfacile mutari poterant easque mutatas esse Ribbeckius docet in prolegomenis criticis p. 243 sq. et in indice grammatico pp. 415 sqq. et pp. 401 sq., ubi de praepositionibus *de* et *di* in compositis permutatis loquitur.

Ne autem temere adfirmavisse videar, in Medicei archetypo voces ex simili loco adscriptas fuisse, aliquot locos, quibus Mediceus hoc vitio inquinatus est, afferam.

Aen. V. 611.

Conspicit ingentem concursum et litora lustrat

M: *consessum* cf. 340.

Hic totum caveae consessum ingentis

. . . . *Salius implet,*

aut 577. *Postquam omnem . . . . consessum . . . .*

Lustravere in equis.

Aen. V. 843.

Iaside Palinure, ferunt ipsa aequora classem

M: *sua flamina*

cf. 832 *ferunt sua flamina classem.*

Aen. V. 859 sq.

. . . . proiecit in undas

Praecipitem ac socios nequiquam saepe vocantem

M: *voce vocantem*

cf. IV. 680 . . . . . *patriosque vocavi*

Voce deos.

VI. 247. *Voce vocans Hecaten.*

XII. 638. . . . *me voce vocantem.*

Aen. VIII. 620.

Terribilem cristis galeam flammasque minantem

M: *vomentem*

cf. 259: . . . . *incendia vana vomentem*

680: . . . . *geminas cui tempora flammas*

Laeta vomunt.

Aen. X. 824.

. . . . mentem patriae subiit pietatis imago

M: *strinxit* ut IX. 294.

Aen. XII. 46.

. . . exsuperat magis aegrescitque medendo

M: *ardescitque tuendo.*

cf. I. 713.

Expleri mentem nequit ardescitque tuendo.

Eodem modo ortum mihi videtur, quod Mediceus praebet Aen. XII. 330.

.... agmina curru
Proterit.

M: *proteret,* quod merum calami errorem Ribbeckius putare videtur, cum de hac forma in commentario critico nihil addat. Sed mihi librarius neglegentius descripsisse videtur vocem, quamvis metro adversantem, quae in archetypo adscripta erat: *proterret.* cf. locum simillimum 289 sqq.

Messapus regem regisque insigne gerentem
Tyrrhenum Aulesten ....
Adverso proterret equo.

Omnia igitur, quae attuli, cum nullum praeiudicium secutus pondero, aliis quoque me persuasurum esse spero, lectionem *longus* a Ribbeckio aliisque iure receptam non esse.

g. III. 478 sqq.

Hic quondam morbo caeli miseranda coorta est
Tempestas totoque autumni incanduit aestu
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum
Corripuitque lacus, infecit pabula tabo.

u
P: *corripuit;* γ: *corripit;* MR: *corrupit,* Scholiasta Lucani et Servius *corrupit* testantur (Cf. Ribbeckium). Ribbeckius *corrupit* scripsit; sed cur *corrupit* Palatini lectioni praeferendum sit, non intellego, nisi forte quis usitatam minus tritae et elegantiori formae praefert.

Tabo non minus cum *corripuit* quam cum *infecit* iungendum esse censeo. *Corripere aliquid aliqua re* non caret analogia. cf. Aen. I. 45.

Illum exspirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit.

Aen. XI. 899.

Ingruere infensos hostis et Marte secundo
Omnia corripuisse.

Plin. N. H. X. 40. 56: Corripere aliquid morsu.

Sil. Ital. XIIII. 80. haec (Minerva) .... Celtas corripuit leto.

g. III. 565 sq.

nec longo deinde moranti
Tempore contractos artus sacer ignis edebat.

r

P: *contractos;* γ: *contactos;* M R: *contactos.* Quamquam confirmare nolo, non esse dubium, quin Palatinus optimam lectionem praebeat, tamen admonendum est de nota illa scriptorum consuetudine verba *attrahi (adduci), contrahi* de frigore aut calore usurpantium ut g. III. 483. ‚sed ubi ignea sitis miseros adduxerat artus'.

Sensus esset hic: sacer ignis artus tam vehementer edebat, ut contraherentur.

Si quaerimus, utra lectio minus aperta sit, ideoque facilius mutari potuerit, non est dubium, quin *contractos* minus dilucidum sit quam *contactos*. *Contractos* propter prolepsin adhibitam fortasse legenti cuidam errore scriptum visum est. Quare nescio an Ribbeckius rectius facturus fuerit, si *contractos* recepisset.

g. IV. 331.

Ure sata et duram in vitis molire bipennem.

valid

P R γ b c: *validam;* M: *duram* Ribbeckius *duram* recepit; nam ei *validam* ex Aen. XI. 651.

Nunc validam dextra rapit indefessa bipennem

interpolatum videtur.

Wagner, ut et *validam* et *duram* epitheta cum nomine *bipennem* iungi posse ostendat, confert Aen. II. 479.

Ipse inter primos correpta dura bipenni
Limina perrumpit.

Sed, quomodo hi versus demonstrent, bipennem etiam duram appellari, non intellego, nam *dura* propter metrum non ad *bipenni* sed ad *limina* referendum est.

Immo illos versus demonstrare puto, Mediceum hoc loco interpolatum esse. Fortasse interpolator „dura" ablativum esse et de bipenni dici ratus hoc loco suprascripserat in archetypo.

Aen. II. 420. sqq.

Illi etiam, siquos obscura nocte per umbram
Fudimus insidiis totaque agitavimus urbe
Apparent; primi clipeos mentitaque tela
Adgnoscunt atque ora sono discordia signant.

v. 422 *primi* legitur in Mediceo omnibusque minoribus. In Palatino de scriptura antiquae manus hoc superest: . RI. MI, et cum secundum Ribbeckium A ante literam M excidisse videatur, pristina Palatini lectio PRIAMI fuisse videtur. Qua re nixus Ribbeckius scripsit: „Priami clipeos mentitaque tela adgnoscunt".

„Nam", inquit [1]), „quod cum ceteris omnibus Mediceus praebet *primi* quid sibi velit, nemo interpretum dixit, ac nescio, utrum *illi* intellegendi sint, quos primos agitaverant falsis armis Troiani (399) an Aiax et Atridae cum cetero exercitu (414 sq.)".

Lectionem *Priami e. q. s.* Ribbeckius in commentario critico a. h. l. sic interpretatur: Adgnoscunt mentita arma, clipeos et tela, non Graecorum sed Priami Troianorumque esse.

Quod Ribbeckius affirmat, cognosci non posse, *primi* quid sibi velit et de quibus Graecis dictum sit, sine magna difficultate refelli potest.

Nam *primi* de illis dictum est, quos Troiani „obscura nocte per umbram fuderant insidiis totaque urbe agitaverant, et qui nunc apparent". Ex his Graecis autem *primi* vocantur a poeta ei, qui Aeneae ceterisque loco proximi erant i. e. prima eorum acies, ei, qui primo loco incedebant.

Nam cum, nox esset obscurissima (360 nox atra cava circumvolat umbra) ex agmine Graecorum, quos Troiani antea falsis armis fefellerant, ei, qui aliquantum a Troianis remoti erant, Troianos Graecis armis tectos cognoscere non poterant, sed ei tantum, qui Troianis proximi erant: „primi".

---

[1]) proleg. crit. p. 310.

„Primi“ autem postquam hostes, cum quibus manus semel conseruerant, cognoverunt, de hac re alios magis remotos certiores faciunt.

Non ergo puto, propter ea, quae Ribbeckius contra lectionem *primi* attulit, eam esse improbandam et removendam.

Immo lectio ab ipso Ribbeckio recepta *Priami* ferri non potest.

Nam secundum Ribbeckium voces *Priami clipeos mentitaque tela adgnoscunt* sic intellegendae sunt: adgnoscunt, illa arma, quae ipsos fefellerant, non a Graecis, sed a Troianis gestari.

Sed, de qua re Ladevicus[1]) quoque et Weidner[2]) admonuerunt, quo modo voces *Priami clipeos adgnoscunt* idem significare possint ac *cognoscunt, clipeos Graecorum a Troianis gestari,* non intellego, neque Ribbeckius demonstravit. Mea quidem sententia hae voces non alio sensu intellegi possunt nisi hoc: „cognoscunt, clipeos Priami esse proprios aut, cum, quae Priami sunt, Troiana sint, clipeos Troianos esse“. Sed clipeos Troianos Aeneas sociique cum Graecis mutaverant.

Sed si voces *Priami clipeos adgnoscunt* sensu a Ribbeckio prolato intellegi possent, ne tum quidem haec lectio probari posset. Nam illa arma, quae ipsos fefellerant, a Troianis, non a Graecis gestata esse, Graeci certe non hoc demum tempore cognoscunt, quo iterum cum Troianis congrediuntur; sed eos id iam antea, eo ipso tempore, quo primum manus conseruerunt, cognovisse oportet, cum Graecos se aggredi Graeci certe putare non poterant. Praeterea si cum Ribbeckio *Priami* legimus, voces *atque ora sono discordia signant* de omnibus Graecis adventantibus dicuntur. Sed hoc ineptum esset, cum, si omnes Graeci eodem tempore peregrinam elocutionem hostium animadverterent, se ipsos de hac re certiores facerent necesse non esset. Immo hae quo-

---

[1]) Ladevicus in editionis in usum tironum compositae adnotatione critica.

[2]) Weidner, Commentar zu Vergils Aeneis, Buch I und II. Leipzig 1869.

que voces ei tantum parti hostium tribuendae sunt, quae Troianis proxima erat (primis) et sola audire poterat, hostium linguam a sua discrepare. Neque minus verba *ilicet obruimur numero*, quibus multitudo hostium parti cuidam opponitur, demonstrant, verba *adgnoscunt, signant* ad illam partem tantum hostium referenda esse.

Quod autem in Palatino olim PRIAMI videtur fuisse non magni aestimo neque hoc librarium errore scripsisse affirmare dubito. Nam in hac Troiae deletae descriptione, ubi totiens Priami nomen scribendum erat, Priameia 403, Priamo 344, Priamoque 291, Priami 191, Priamus 147, Priamique 56, quam facile accidere poterat, ut librarius *Priami* pro *primi* scriberet! Neque desunt alii loci, quibus nominis *Priamus* forma pro vocis *primus* forma scripta est.

cf. II. 485.

Armatosque vident stantis in limine primo

Bernensis a: *priamo.*

III. 205.

Quarto terra die primum se attollere tandem
Visa. — M: PRIAMVM.

IV. 677.

Quid primum deserta querar?
M: PRIAMVM

Aen. XI. 895.

primaeque mori pro moenibus ardent

P: PRIAMAE.

Aen. II. 615 sq.

Iam summas arces Tritonia (respice) Pallas
Insedit nimbo effulgens et Gorgone saeva.

Pro *nimbo* legitur in Moretano secundo varia lectio *limbo*, quod a quibusdam pro *nimbo* lectum esse Servius tradit. *Nimbo* autem et in omnibus codicibus invenitur et ab Servio et ab scholiasta ad Hor. carm. I. 15. 11. traditur.

Nullius ergo codicis auctoritate lectio *limbo* firmatur; nam in illo Moretano variam lectionem propter Servii adnotationem additam esse apparet.

Quae cum ita sint, num recte viri docti inde a Ladevico et inter eos Ribbeckius *limbo* receperint, inquirendum esse puto. Omnis autem haec quaestio pendet ab indaganda significatione vocis *nimbus*.

Atque primum quidem Wagner[1]) contra lectionem *limbo* disseruit, *nimbo effulgens* idem esse ratus quod *ex nimbo fulgens*. Qui *nimbum* illam nubem ex Homeri carminibus satis notam esse putat, quae deorum corpora oculis hominum subtrahit. Venerem enim Aeneae oculos ita acuisse dicit, ut, quamquam nube amicta sit, deam nihilominus conspiciat. Sed mihi haec interpretatio verisimilis non videtur, cum, si Minerva Aeneae conspicua est, nimbus ille omnino videri non possit, ideoque nesciam quomodo poeta eius mentionem facere potuerit.

Alia autem vocis *nimbus* significatio apud Vergilium invenitur, quae hoc loco fortasse adhiberi potest. Dicitur enim *nimbus* de tenebris, quae efficiuntur, cum multae et parvae res in aëre volitantur. cf. g. III. 110. At fulvae nimbus arenae Tollitur.

Claudian in Ruf. II. 176. „pulveris extolli nimbos videres!" Si hanc significationem ad hunc locum adhibemus, dicitur Minerva effulgere ex tenebris ortis per favillam ustaeque materiae particulas in aëre volitantes et fumum. Causa autem fulgoris sunt arma lucida Tritoniae et splendor corporis divini, quo splendore miro apud Vergilium saepius corpora deorum fulgent. cf. Aen. I. 402. rosea cervice refulsit.

Aen. II. 589.

Cum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam
Obtulit et pura per noctem in luce refulsit.

Permultos alios locos poetarum Graecorum et Latinorum,

---

[1]) Wagner, lectiones Vergilianae. Philolog. suppl. I. 334.

quibus corporibus deorum et heroum fulgor quidam lucidus tribuitur, attulit Stephani[1]).

Vox *saeva* tum sane non sextus, sed primus casus est: saeva terrore Gorgonis (Servius).

Ceterum si haec explicatio non placet, ideo minime cogimur, *limbo* scribere. Nam hic locus alio eoque elegantiore modo explicari potest.

Servius *nimbo* hisce verbis interpretatur: Nube divina: est enim fulgidum lumen, quo deorum capita cinguntur: sic etiam pingi solet; idemque ad Aen. III. 587: Proprie nimbus est, qui deorum vel imperantium capita quasi clara nebula ambire fingitur. Haec significatio a Servio allata et a Gossravo[2]) atque a Stephanio[3]) probata aptissima foret, si Servium eam recte voci nimbi tribuisse constaret.

Nam Minervam, Graecorum fautricem adiutricemque, nunc, ubi tandem eam gentem, qua nullam magis amat, in urbem hostium perituram introeuntem videt, attributis, ut ita dicam, naturam rerum terrestrium transscendentibus praeditam esse oportet.

cf. locum simillimum Aen. XII. 808 sqq.

Ista quidem quia nota mihi tua magna voluntas,
Juppiter, et Turnum et terras invita reliqui;
Nec tu me aeria solam nunc sede videres
Digna indigna pati, sed **flammis cincta** sub ipsa
Starem acie traheremque inimica in proelia Teucros.

Hoc loco Juno describitur, quae flammis cincta in ipsa acie Troianos sibi invisos terreret, nisi Juppiter vetaret. Aen. II. 615 sq. Minervam nimbo effulgentem in ipso Troiae incendio Troianos terrentem videmus.

---

[1]) Ludolf Stephani, Nimbus und Strahlenkranz in den Werken der alten Kunst. Mémoires de l'académie des sciences de St. Pétersbourg. VI. série. Sciences politiques, histoire, philologie. T. IX. Pétersbourg 1859. p. 3. sq.

[2]) cf. eius adnotationem a. h. l.

[3]) Stephani, l. l. p. 4.

Sed cum significatio vocis nimbi a Servio allata adhuc parum probata, sed tamen ad sensum prorsus accommodata sit, alii anquirendi sunt loci, quibus, quod Servius dixit, probetur, vocem nimbi etiam de fulgore quodam dici potuisse. cf. Aen. IX. 110.

Hic primum nova lux oculis offulsit et ingens
Visus ab aurora caelum transcurrere nimbus,

ubi vocem nimbi propter ea, quae antecedunt, *nova lux oculis offulsit* non intellego, nisi de fulgore quodam dicitur; nam de imbribus aut obscurantibus nubibus dicta esse non potest, cum neque imbri coorto lux oculis umquam offulgeat neque imbres recte caelum transcurrere dicantur, immo de caelo cadere; Heynius quoque ad Aen. II. 616 concedit, hoc loco nimbum de clara nebula dictum esse.

Tamen fortasse errare cuidam videor respicienti versus illos, quibus Ovidius, met. XIV. 530 sqq. hunc Vergilii locum expressit; nam ibi (v. 543) legitur:

Cum saliente graves ceciderunt grandine nimbi.

Sed tamen hoc mihi non tam grave videtur, ut dubitem de interpretatione mea modo prolata Nam illo loco Ovidiano omnino non accurata sed soluta liberaque Vergilii imitatio continetur. Apud Vergilium enim Cybele Teucros adloquitur,

(114. ne trepidate meas, Teucri, defendere naves)

apud Ovidium Turnum (539!

Irrita sacrilega iactas incendia dextra
Turne e. q. s.).

Maior autem inter utrumque poetam discrepantia inde oritur quod apud Vergilium adventus Cybeles una cum magno et miro splendore (nova lux offulsit) accidit, ideoque nimbus quoque eodem sensu intellegendus est; contra apud Ovidium adventum matris deorum gravissima tempestas, tonitrus (542 intonuit dicente dea), grando, imbres (543), venti (544

Aëraque et tumidum subitis concursibus aequor
Astraei turbant et eunt in proelia fratres),

sequuntur, de quibus apud Vergilium nihil legitur. Etsi ergo apud Ovidium vox nimbi imbres significat, ideo non cogimur,

apud Vergilium quoque vocem nimbi legentes de imbri cogitare. Ceterum per se haec maxime diversa sunt: *nimbus transcurrit caelum* et *nimbi ceciderunt.*

Idem de voce nimbi statuere posse mihi videor Aen. V. 666.

Respiciunt atram in nimbo volitare favillam.

Si constaret, hoc loco voce *nimbo* fumum obscurum significari, Klouçek[1]) iure dubitavisset, num lectio *atram favillam* vera esset, quia in obscuro fumo atra favilla conspici non potest, et fortasse recte *atram* in *atro* mutavisset. Sed mea sententia *nimbo* hoc loco de illo rutilo fulgore dictum est, qui ex incendio navium ortus erat, et in quo Troiani particulas navium semustas volantes vident. Omnes libri *atram* tradunt; neque coniectura illa opus fuisse et etiam hunc locum demonstrare puto, vocem *nimbus* de fulgore usurpari potuisse.

Eundem sensum habet *nimbus*
Aen. VI. 585 sqq.

Vidi et crudelis dantem Salmonea poenas,
Dum flammam Jovis et sonitus imitatur Olympi.
Quattuor hic invectus equis et lampada quassans
Per Graium populos mediaeque per Elidis urbem
Ibat ovans divomque sibi poscebat honorem,
Demens, qui **nimbos** et non imitabile fulmen
Aere et cornipedum pulsu simularet equorum.

Num hoc loco *nimbus* de pluvia dictum est? aut de nubibus? Sed in Salmonei fabula minime narratur, eum pluviam quoque imitatum esse. cf. Apollod. biblioth. I. c. 9. fab. 7. Praeterea Vergilius instrumenta, quibus Salmoneus fulgur et tonitrua imitatus sit, affert: taedam (lampada quassans 585) et currum aëneum (aere et cornipedum pulsu equorum 591). Sed quo instrumento pluviam imitatus sit, poeta non affert.

Praeterea conferas v. 586 *flammam et sonitus Olympi* cum. v. 590 *nimbos et fulmen.* Haec comparatio nos docet,

---

[1]) **Klouçek, Miscellen zu Vergil. Leitmeritz 1870—73. II. 7.**

poetam, ut voce *sonitus* idem signat ac *fulmen* tonitrua commovens, ita flamma idem significatum voluisse ac nimbis.

Itaque mea quidem sententia *nimbus* est vox media quae dicitur ut in nostra lingua *Schein* neque minus fulgorem aut claram nebulam significare potest quam nubes aut tenebras, de qua significatione supra disserui. Ne longum faciam: cum Aen. XII. 811. *flammis cincta* idem esse videatur quam hoc loco *nimbo effulgens;* cum ex Aen. IX. 111, V. 655, VI. 585 appareat, vocem nimbi etiam de fulgore ac lumine usurpatam esse, non dubito affirmare: Vergilium hoc loco, Aen. II. 616, Minervam ita descripsisse, ut totum eius corpus, non caput solum, ut Servius dicit, lucido splendore fulgeat, sive poeta de incendii flammis cogitavit, sive hoc nimbo Minervae adspectum terribiliorem reddere voluit, ut illo loco, XII. 811, Iunonem flammis cinctam finxit.

Sed redeamus ad Servium eiusque interpretationem: „Nube divina; est enim fulgidum lumen, quo deorum capita cinguntur: sic etiam pingi solet.[1]) Capita deorum tali lucido orbe circumdata haud raro videmus in picturis parietariis Pompeianis. Postquam enim artifices tempore Alexandrinorum, quod dicitur, initium fecerunt, deorum corpora eo modo ab hominum corporibus distinguendi, ab illis hic usus ad Italiae pictores transiit itaque usque in nostra tempora remansit et nunc *Heiligenschein* vocatur. Quare cum dubium non sit, quin Romanis Vergilii temporibus ea res, quam Servius affert, nota fuerit, fortasse ei diffidendum non est de voce, quam huic rei imponit (nimbus).

Non minus autem quam *nimbo* aptum *limbo* mihi poeta indignum videtur. Nam quam ineptum esset, gorgoneum illud, terrorem omnium animalium eodem ordine iungere cum — vestis lacinia acu picta!

Tum haud scio, quomodo talis lacinia a summa arce usque in imam urbem per noctem et tenebras lucere possit.

---

[1]) **Omnia monumenta artis antiquae, in quibus hic nimbus invenitur, contulit Stephani l. l.**

Quae Henry ad lectionem *limbo* defendendam conscripsit[1]), non tam gravia sunt, ut propter ea lectioni ab omnibus codicibus traditae praeferenda sit lectio nulla omnino librorum manuscriptorum auctoritate firmata; nam quod in recentioribus quibusdam aliis, Monacensi 10719, Basiliensi F. II. 23., *limbo* pro varia lectione invenitur, eodem modo ex Servii adnotatione explicandum est quo lectio Moretani secundi. Quid enim? Num, ut ille dicit, hoc loco vestem Minervae commemoratam esse oportet, quia aliis locis Vergilius viros feminasque superbis vestibus ornatos inducit? Quasi non omnes heroici carminis poetae id facere solerent.

Aut ideo *limbo* recipiendum est quod in artificio quodam Minervae peplum latissimo limbo ornatum est?

Weidner,[2]) ut *limbo* defendat, Minervam *περσέπολιν* aut *ἐρυσίπολιν* descriptam ideoque voce *limbo* pepli mentionem factam esse oportere dicit. Sed, ut id fiat, sane multo magis galeae aut hastae mentio fieri debebat, quam pepli. Peplum enim belli vestem non esse, sed pacis, optime demontrat Homerus Il., V. 733 sqq.[3])

Αὐτὰρ Ἀθηναίη, κούρη Διὸς αἰγιόχοιο,
Πέπλον μὲν κατέχευεν ἑανὸν πατρὸς ἐπ᾽ οὔδει,
Ποικίλον, ὅν ῥ᾽ αὐτὴ ποιήσατο καὶ κάμε χερσίν.
Ἡ δὲ χιτῶν᾽ ἐνδῦσα Διὸς νεφεληγερέταο
Τεύχεσιν ἐς πόλεμον θωρήσσετο δακρυόεντα. e. q. s.

Hoc loco Minerva, cum ad bellandum se comparat, peplo deposito chitona induit.

Ad finem pervenimus. Lectio *nimbo effulgens* ferri potest. 1) eadem sententia ac: fulgens ex tenebris per incendium coortis; 2) eodem sensu ac: splendore fulgens, quod ego praefero; 3) *limbo* neque aptum est neque in libris manu scriptis invenitur; 4) voces nimbi et limbi persaepe mutatae sunt;[4])

---

[1]) Henry, Fleckeisenii annales LXXIII p. 458 sq.
[2]) Weidner, l. l.
[3]) cf. Preller, Griechische Mythologie.
[4]) cf. Henry l. l.

itaque facillime fieri poterat, ut in libro quodam, quem Servius inspexerat, *limbo* pro *nimbo* falso scriberetur.

Aen. X. 290.

Speculatus litora Tarchon,
Qua vada non spirant nec fracta remurmurat unda,
Sed mare inoffensum crescenti adlabitur aestu,
Advertit subito proram.

v. 291 Mediceus *spirant* habet, in Palatino autem et Romano *sperat* invenitur. Servio utraque lectio nota est, sed *sperat* commendat.

Ribbeckius autem num recte *sperat* receperit, cognoscere non poterimus nisi accuratius totius loci contextum perscrutati.

Aeneas cum Tyrrhenorum classe ad litus Latii appellit. Cum militum pars naves non prorsus ad ripam admoveat et saliendo terram consequi studeat, dum mare per aestus recessum minus profundum est, Tarchon, audacissimus Etruscorum dux, naves usque ad ipsum litus remis appellere conatur. Quod fieri non poterat, nisi scopulos et saxa sub unda latentia cavebat, quibus ne naves frangerentur solverenturque periculum erat. Quae saxa abesse, mare ipsum indicat, siquidem quietum est neque strepit neque murmurat. Quare Tarchon litus speculatus appulsum conatur, qua vada non spirant i. e. aestuant ac fracta remurmurat unda, sed mare inoffensum est; nam si saxa sub pelago latent, unda frangitur ideoque aestuat et murmurat.

Sin autem cum Ribbeckio *qua vada non sperat* scribimus, sensus omnino falsus existit; tum enim Tarchon speculatur, num inveniat litoris partem, qua mare profundum sit. Nam ubi vada desunt, mare profundum est. Sed maris partem profundam Tarchon non quaerit. Immo cum arenam ipsam carina sulcare velit, eo prora ei advertenda est, **ubi vada sperat;** is locus autem, quo vada **non sperat,** ad id, quod in animo habet, perficiendum minime idoneus est. cf. 295 sq.

inimicam findite rostris
Hanc terram sulcumque sibi premat ipsa carina.

Accedit, quod verbum *spirant* hoc loco minime significatu pervulgato a Vergilio usurpatum est. Immo cum, quantum scio, praeter hunc locum nusquam nisi G. I. 327. *fervetque fretis spirantibus aequor* de maris aestu dictum inveniatur, facillime accidere poterat, ut sermo insuetus aboleretur et per coniecturam cum sermone usitatiore et magis dilucido, quamvis falso, permutaretur. Tamen nescio an rem rectius ita explicem, ut aut propter similitudinem literarum E et I verba *sperare* et *spirare* permutata sint aut librarius ex versus superioris voce S*PEculatus* tres priores literas in versum 291 transtulerit et *SPErant* scripserit, quod credibile est, cum utraque vox iisdem literis SP incipiat. *Sperant* autem cum non intellegeretur, collato v. 290 *speculatus litora Tarchon* in *sperat* mutatum est. Quod esse antiquo tempore factum docet Servii adnotatio: „*spirant* legitur et *sperat*". Librarios autem saepe in superiores versus aberravisse et inde paucas literas in eum, quem scribebant, versum transtulisse, satis notum est et permultis exemplis ex nostris codicibus sumptis confirmatur. Ex quibus haec eligo:

ecl. VII. 55.

Omnia nunc rident: at si formonsus Alexis
Montibus his abeat, videas et flumina sicca

P: abeRIt propter RIdent 55.

ecl. VII. 53.

Stant et iuniperi et castaneae hirsutae.
Strata iacent passim sua quaeque sub arbore poma.

P: Isua propter iuniperI.

Aen. I. 336.

Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram
Purpureoque alte suras vincire cothurno.

P: RIras propter TyRIis.

Aen. IV. 84.

Aut gremio Ascanium genitoris imagine capta

Detinet, infandum si fallere possit amorem.

R: IMAGO pro *amorem* propter IMAGINE.

Aen. IV. 105.

sensit enim simulata mente locutam,
Quo regnum Italicum Libycas adverteret oras

P: avertereC propter loCutam.

Aen. IV. 232.

Si nulla accendit tantarum gloria rerum
Nec super ipse sua molitur laude laborem.

M: laborVM (propter rerVM), quod iam in archetypo fuisse puto, cum in Gudiano quoque *laborum* legatur et in Palatino *laborem* in *laborum* correctum sit.

Aen. IV. 275.

Cui regnum Italiae Romanaque tellus
Debentur. Tali Cyllenius ore locutus
Mortalis visus medio sermone reliquit.

P: mortaliVs propter debentVr.

Aen. IV. 296.

At regina dolos (quis fallere possit amantem)
Praesensit motusque excepit prima futuros.

M: Amotus propter reginA.

Aen. IV. 313.

Troia per undosum peteretur classibus aequor?
Mene fugis? per ego has lacrimas dextramque tuam te.

P: hasTE lacrimas propter peTEretur.

Aen. IV. 347.

si te Karthaginis arces
Phoenissam Libyaeque aspectus detinet urbis

P: urbES propter arcES.

Aen. IV. 460.

et verba vocantis
Visa viri, nox cum terras obscura teneret,
Solaque . . . .

M: Volaque propter Visa.

Aen. VI. 159.

It comes et paribus curis vestigia figit
Multa inter sese vario sermone serebant.

P: varioVE propter VEstigia.

Aen. VI. 412.

simul accipit alveo
Ingentem Aenean. Gemuit sub pondere cumba.

P: ACsub propter ACcipit.

Aen. VII. 157.

ipse humili designat moenia fossa
Moliturque locum primasque in litore sedes

M: eSSe (pro „sedes") propter foSSa.

Aen. VII. 353.

Innectitque comas et membris lubricus errat.
Ac dum prima lues . . . . .

M: Iac propter Innectit.

Aen. VII. 707.

Agmen agens Clausus magnique ipse agminis instar,
Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens

M: INgens propter INstar.

Aen. VIII. 346.

Testaturque locum et letum docet hospitis Argi,
Hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit

M: *Tarpeiam ET saedem* propter, *locum ET laetum.*

Aen. XI. 541.

Infantem fugiens media inter proelia belli
Sustulit exilio comitem matrisque vocavit
Nomine.

P: Locavit (propter proeLia), quod, cum in Gudiano quoque legatur, in archetypo Palatini et Gudiani fuit.

Aen. XII. 96.

te maximus Actor,
Te Turni nunc dextra regit. Da sternere corpus

P: daT propter Te.

Aen. XII. 282.

Sic omnis amor unus habet, decernere ferro.
Diripuere aras. (it toto turbida caelo
Tempestas.)

P: ET. propter habET. Gudianus quoque *et* habet, ut idem vitium in archetypo Palatini et Gudiani fuisse videamus.

Ex his exemplis de numero immenso similium locorum selectis facile intellegitur, in nostris codicibus multas lectiones ad voces prioris versus referendas esse; praecipue autem tres loci, quos attuli (Aen. IV. 232. XI. 541. XII. 282), nos docent, ne illum quidem librum, unde nostri codices descripti sunt, hoc vitio caruisse. Quare non dubito affirmare, lectionem *sperat* eodem modo ortam esse, praesertim cum voces *spirant* et *speculatus* iisdem literis incipiant. Fortasse in

SPIRANT
archetypo hoc erat: SPERAT, *spirant* a correctore suprascriptum. Sic enim explicari potest, quomodo factum sit, ut alter codex *sperat*, alter *spirant* habeat.